



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXVI. Christus in cruce patiens amaris lacrymis nostram deplorat jacturam animarum. Et nos quid?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXXVI.

Christus in cruce patiens amaris lacrymis
nostrarum deplorat jacturam animarum.

*Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est
pro sua reverentia. Hebr. 5. 7.*

I.

Flevit quondam David non tam presentem, quam æternam filii
sui Absolomi mortem, eò quòd in flagranti parricidii delicto
lanceis confossus infelicem animam exhalavit: *Contristatus itaque* 2. Reg. 18. 33.
Rex ascendit cœnaculum portæ, & flevit.

Flevit Samuel Propheta Saulem non tam regno, quam & vitã
ac salute suã æternã privandum: *Lugebat Samuel Saulem, quoniam Domi-* 1. Reg. 15. 35.
num paviebat, quod constituisset eum regem super Israël.

Flevit Ezechias in morbo, quem ei mortem prædixerat Prophe-
tarum princeps Isaias brevi allaturum; proinde se convertit ad templi
parietem, ut attentius ac liberius ad DEum preces cum lacrymis fun-
deret: *Flevit itaque Ezechias fletu magno.* Convertit autem se ad parietem 4. Reg. 20. 3.
hoc est, prout hic asserit S. Gregorius Magnus, ad humanitatem
Christi Jesu Redemptoris nostri, quia ipse stat post parietem nostrum. Cant. 2. 9.

Flevit & piensissimus Salvator noster in lectulo crucis paulò post
ex hac vita discessurus. Ita Gentium Doctor Paulus: *Cum clamore va-* Hebr. 5. 7.
lido & lacrymis offerens; exauditus est pro sua reverentia; Clamavit clamore
valido, quando ad Patrem dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereli-*
quisti me? Flevit, quia prævidit acerbissimæ passionis suæ & copiosæ
redemptionis inutilitatem in multis; unde per Psalmistam conquestus
est: *Qua utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Psal. 29. 10.

2. Quòd inter arcta conditus præsepia adhuc tenellus infans pius
effuderit lacrymas: *Et primam vocem finitiem omnibus emisi plorans,* non Sap. 7. 3.
miror, quia illi tenellæ ætati quasi proprium est, ut miseras suas
ac ærumnas per ejusmodi fletum demonstrat: *Infantia,* ait S. Augu- 5. August. 2L
stinus, *non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quod & Christus fecit.* Civit. 14.

Quòd

- Quòd Lazaro fideli amico suo defuncto lacrymis parentaverit: *Et lacrymatus est Jesus*. Item quòd videns civitatem Solimam in similes lacrymas proruperit: *Videns civitatem, flevit super illam*, amor hoc fecit. Ita videns Jacob de longè Rachèlem futuram sponsam suam ad puteum cum ovibus suis adventantem, *elevat à voce flevit*. Flevit & Jesus in cruce: *Cum clamore valido & lacrymis offerens hoc cruentum sacrificium: Christus*, inquit S. Bernhardus, *non contentus fuit lacrymis oculorum, sed totius corporis sanguineis lacrymis peccata nostra flere, & lavare voluit*. O fletum verè miserandum, videre Jesum, vitam nostram, nunc morti appropinquantem, tam amaris lacrymis animarum nostrarum deplorantem jacturam! O fletum miserandum!
3. Et subjungit S. Paulus: *Exauditus est pro sua reverentiâ* Et quomodo, dices, Christus in cruce à Patre fuit exauditus? Observa: Oravit in monte Olivario cum lacrymis, & exauditus est à Patre, dum ei Angelum consolantem submitit: *Apparuit autem illi Angelus de caelo, confortans eum* Oravit & in monte Calvario cum lacrymis, & consolatus est non ab Angelo, sed ab uno latrone poenitente: *Domine memento mei*. Hoc crucifixo Redemptori nostro summum in ultimo agone erat solatium, ubi vidit saltem unicam animam ab inferni faucibus per passionem suam esse ereptam: *Exauditus est pro sua reverentiâ*; Proinde iterum Doctor Mellifluus: *Flevit super illam* (hoc est animam) *nec solum flevit, sed etiam occidi se permisit, ut pretiosissimi sanguinis sui pretio eam redimeret*. O Christiane! Si tamen verus Christianus es, Christum amas & sequeris? O Christiane, inquam, collige vel ex hoc summam animæ tuæ dignitatem, & irreparabilem jacturam, si hunc thesaurum in agro corporis tui absconditum per socordiam tuam aliquando perderis: *Flente Domino pro nobis*; ait S. Bonaventura, *omnes cum ipso flere debemus*. Sed Eheu! ubi sunt lacrymæ nostræ?
4. Filii illi Prophetarum fleverunt propter amissam unam securim, quæ inter secanda ligna illis in Jordanem fluvium ex improvîso delapsa est, unde multis cum lacrymis ad Eliseum Prophetam exclamarunt: *Heu, heu, heu Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam*. Esau irremediabilibus lacrymis sua deploravit perdita primogenita, quem planctum Scriptura rugitum appellat: *Irrugit clamore magno, dum quasi leo in sylva ob ereptam prædam irrugit*. Phaltiel filius Lais mœstis lacrymis deplanxit Michol ereptam sibi uxorem putatitiam, quam prius David cæde centum hostium sibi emerat: *Misit ergo Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais, sequentibusque eam vir suus, plorans utque Bahurim*.

Michas amarissimè flevit, dum Danitæ idola sua surripiebant, quos plorans de longè secutus est; & cum hi causam hujus tam inconditi ploratus inquirerent: Quid ploras? Respondit: Deos meos, quos mihi Judic. 18. 24. sui, tulistis, & dicitis quid tibi est?

Mulieres illæ Gentiles vehementer deplangebant Adonidem sibi ereptum, quas Ezechiel ad portam atrii exterioris in templo Dei sedentes observavit: Et ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem. Ezech. 8. 14.

O filii ominum! usquequò gravi corde? ob vilissima crepundia, ob pomum ereptum, ob unam amissam securim cum pueris ploratis & ejulatis: perditis econtra per unum peccatum mortale pretiosissimam animam vestram, gratiam divinam, paradisum, ipsumque DEum, & ridetis, ah miseri! ad ipsum vestrum interitum? Sicutne in te, subintrat S. Augustinus, Christiana viscera pietatis, qui plangis corpus, à quo recessit anima, & non plangis animam, à qua recessit Deus? Et non plangis Amorem tuum crucifixum JESUM, qui cum clamore valido & lacrymis se pro tua in ara crucis obtulit salute? Et si quidem illum non dignum æstimas unicâ tuâ lacrymulâ (Vah portentum ingratitude!) cur non lacrymas fundis propter innumera & enormia tua peccata, quibus de novo hunc Filium Dei crucifixisti? ah cur non ploras?

5. Audi quid memorabile. In Ecclesia Forstenridensi, qui locus unâ leucâ ab Electorali urbe Monacensi in Bavaria distat, hodie magna cum veneratione in principe altari colitur antiquissima quædam imago crucifixi Redemptoris nostri, quæ prius in monte Sancto Andecensi multis prodigiis celebris, cum Agnete Bavariæ Ducissâ pietissimâ & exinde Philippi Secundi Francorum Regis conjugè trinâ vice humanâ voce locuta est, & antequàm Hunni Bavariam igne & ferro vastarent, per octo integros dies sanguineas lacrymas sudavit, per quam Sacram imaginem DEUS etiamnum hodie miseris mortalibus illuc devotionis causâ confluentibus, mira solet elargiri beneficia. Verfus, quos ibidem reperi, hic subjungo:

Hâc misisse ferunt ter vocem ex arbore Christum,

Sanguine & octonos imaduisse dies.

Jam iacet, & nullæ stillant è corpore guttæ:

Nimirum guttas vellet habere tuas.

6. Colonia Agrippinæ in templo B. V. Mariæ de Monte Carmelo ad venerationem exposita est vetustissima quædam imago crucifixi Domini, quæ per nefarium lusorem, dum infelici alearum lusu omnes suas perdiderat pecunias, impio pugione in vultu & oculis sauciata prodigiosum sanguinem ac cruentas lacrymas stillavit.

Ginther Unus pro omnibus,

O o

En

S. August. cit. à S. Antonio p. 4. tit. 7. c. 6. §. 3.

Ex libro de confrat. S. Crucifixi f. 5. Monachii edito anno 1623.

Egid Geleus in Magnit. Colon. l. 3. Syntag. matc 43 §. 6.

En Iesus tuus & hic crucifixus in sacris suis imaginibus adhuc hodie tua & quidem sanguineis lacrymis deplorat peccata, & tu peccator inveterate, adhuc stas immotus? Cur non exclamas in animo contrito & humiliato cum Vate Threnologo: *Quis dabit ca i: i meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectum in cruce amantissimum Redemptorem meum.*


Hier. 9. 1.

Joa. 4. 6.

S. Ant. Pad.
hic.

Olim Iesus *fatigatus ex itinere sedebat super fontem*, & quidem hora sexta diei, expectans conversionem & lacrymas unius peccatricis animæ. S. Antonius Paduanus per hunc fontem crucem intelligit, in qua te etiamnum expectat, anima Christiana, sitiens lacrymas tuas mitissimus Iesus: Et nondum vis venire?

Ah nondum?



CONSIDERATIO LXXVII.

Aspectus & consideratio crucifixi IESU optimus est iræ & iracundiæ sedandæ medicus.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Hebr. 12. 3.

I.

DAvidi Regi in fuga contra faciem Absalonis nudis pedibus montem Oliveti ascendenti, & amarè suam ac subditorum miseriam deploranti occurrebat Semei, homo protervus & irâ percitus, plura maledicta ac convicia in Regem suum fulminans, imò & lapides in illum mittens: *Et maledicebat, mittebatque lapides contra David.* Quid ad hoc Rex mansuetissimus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Voluit quidem Abisai hunc rabidum canem ad condignam deposcere necem, illique amputare caput, sed prohibuit Rex: *Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutionem.*

2.Reg. 16. 5.
Psal. 131. 1.

Psal. 37. 14.

En perfectissimum typum Christi Domini, Filii Davidis, quomodo ira sit refrananda, & quomodo irato ac insano homini sit ob-